




J. J.



Vanquam singula DEI opera mentem
sapientis incredibili perfundant gau-
dio, dum nutum potentissimum, quo
vivimus, movemur & sumus, mira
varietate nobiscum suavissime luden-
tem, palpandum exhibent; illa tamen speciali qua-
dam voluptate trahunt homines, quæ peculiarem lo-
quuntur gratiam Numinis. Omnium capit oculos a-
nimosque Iris, sive istum colorum nitorem, sive con-
stantem eorundem ordinem, sive figuram ad leges cir-
culi compositam, sive situm aliave spectemus. At si
insuper legimus Gen. IX. 13 seq. quod nos admonere
debeat gratiosissimi illius promissi, de terra non am-
plius aquis obruenda, plus amœnitatis habet ejus con-
templatio. Atque hoc illud est, quod & nobis ansam
præbuit, non solum, post magni nominis Viros, Car-
tesium, Grimaldum, Fabri, Ekardum aliasque ipsam
Iridem curatius paulo inspiciendi, sed &, insimul re-
spiciendo ad divinum illud promissum, examinandi
jam olim exagitatai quæstionem: Num scil. Iris eti-
am ante Diluvium fuerit, nec ne? Cum vero frustra
ejus expectetur decisio, nisi prius constet quid Iris sit,
ut exinde cognoscatur, an portentum sit extraordina-
rium, an vero contra ex ordinariis oriatur causis; ideo,

O

ordi-